



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Decima octaua Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

6º De sancto Lullo, episcopo Moguntino.

Obseruatio quo ad Belgium ex eius epistola, & ex officio in die sancti Bonifacij.

IN Hirsfeldensi monasterio, natalis S. LULLI archiepiscopi & confessoris, qui sancto Bonifacio martyri dignè succedere meruit. Fuit natione Anglus, patria Maldubiensis, &, ut quidam addunt, ynus ex duodecim monachis quos sanctissimus Egbertus in Frisiā misit. Quo spectat quod exstet beati Lulli epistola ad Gregorium presbyterum & abbatem, in qua illum præceptorem suum vocat. Gregorius enim fuit Ultraiecti primū abbas, deinde episcopus. Præterea ecclesia Moguntina habet S. Bonifacium, cùm sanctissimæ ipsius conuersationis, affluentis doctrinæ, flagrantisque in Deum animi certiora experientia cœpisset, inuitum ad Sacerdotij dignitatem prouexisse, & lateri suo semper adesse voluisse. Vnde eum in Belgio S. Bonifaciu cooperatum esse, non est incredibile.

*Manu. scri-
pta in Ger-
mania, &
citatur à
Magdebur.*

*In diei offi-
cio.*

De eo plura videre licet in historijs Guilhelmi Malmesburiensis, & Laurentij Surij. Zacharias Lul vocat: quidam etiam Iulium.

Decima octaua Octobris.

De sancto Monone, martyre Nassoniæ.

*Ex historia manu-scripta, & instructione ex diui Hu-
berti monasterio accepta.*

IN Nassoniæ, natalis S. MONONIS martyris Qui angelico monitu de Scotia Arduennam deuenit, ubi solus soli Deo multo tempore seruit, &

uit, & feliciter occubuit, à sicarijs latronibus confessus; Vbi etiam est sepultus in ecclesia quam ipse construxerat. Est autem *Nasson* pagus illustris sanguine & reliquijs gloriosi martyris, sub ditione abbatis monasterij S. Huberti quod est in Andaino; à quo duobi milliaribus est semotus intra diocesim Leodiensem. Nominatur discipulus sanctorum Remacli & Ioannis Agni, episcoporum Traiectensium ad Mosam. Ad eos enim de Scotia venerat, quæ regio multos sanctos velut stellas lucifluas, ad diuerias mundi partes transmisit. Cæterum beato viro ob titulum Christianitatis maculato, Pipinus rex regaliter decimas obtulit, quas habebat inter Letiam & Vrcam: sanctus verò Ioannes Agnus clericorum, quos nunc Canonicos dicimus, ministerium ibidem instituit.

Vigesima secunda Octobris.

1º. De S. Oelberto, martyre in Oisterhout, quem quidam Odelbertum vocant.

Ex narratione Danielis de Doirne, Buschij, Pastoris Oisterhoutani.

IN Oisterhout, natalis sancti OELBERTI martyris. Est autem dictus locus populosis pagus diocesis Antuerpiensis, apud Bredam. Cuius incolæ hæc de patrono suo à maioribus acceperunt. Latrones quidam latrocino suo deprehenso, illac per agrum fugiebant, vbi sanctus Oelbertus ex aratione fatigatus in somnum inciderat, dormientique mucronem suum apponunt, sanguine maculatum. Qui eos insequebantur, in beatum Oelbertum